

Euripideos esse versus nec relatum usquam legimus nec possumus credere affirmantibus. ut enim Polyidi fabulam praeter Euripidem tractavit in *Μάντεσι* Sophocles ac fortasse Aeschylus in *Κρήσσαις*, ita rerum mathematicarum ignorantia, quam Eutocio teste Eratosthenes in allatis versibus suo iure reprehendit, antiquiorem potius tragicum poetam quam Euripidem sapit, nec dicendi genus Euripidem videtur arguere. sed quisquis versuum auctor fuit, satis utique causae erat cur nollemus Valckenarii coniecturam adoptare. nec tamen par erat hominum doctorum expectationem falli excluso loco eo, quem et emendatiorem et auctiorem liceret proponere. itaque versus illos inter adespota tragica fragmenta referenda existimabamus una cum aliis plurimis locis, quos cum tragicos esse vel sciremus vel suspicaremur, certo cuidam poetae vindicare non liceret. adespota autem tragica fragmenta non poterant admitti nisi in omnium tragicorum poetarum reliquiis. quas cum anno 1856 emissemus, haec Euripidis editio tertio volumine, quod perditarum tragoediarum fragmentis destinaveramus, huc usque destituta mansit. nunc tandem visum est promissum solvere et ex ampliore illo opere Euripideas reliquias separatim repetere. quam rem ita institui ut non integram adderem scripturae varietatem olim collectam, sed prout bibliothecae Teubnerianae modus exigeret, poetae verba darem quantum liceret emendata ac fontes unde singuli loci derivati essent paucis indicarem. simul vero operam dedi ut si quid olim a me non recte administratum esset, hac editione corrigerem, ac spero iis qui maiore editione adhuc usi sunt huius libelli tenuitatem non fore inutilem. a numeris fragmentorum olim positus, quos Dindorfius in quinta Poetarum scenicorum editione secutus est, raro discessi. ita versum *κῆτος θοάζον ἐξ Ἀτλαντικῆς ἁλός* (olim inc. fab. fr. 949) ad Andromedam rettulimus (v. fr. 134^b huius edit.) secundum scholion Euripideum a Dindorfio editum. fr. 1086 prioris edit. fuerat forma *λῆς* in Etym. M. ex Euripide allata: ipsum poetae locum e Plisthene depromptum servavit codex Florentinus, cuius notitiam debemus E. Millero (v. fr. 627^b huius edit.). corruptum illud *syrseen opersu* (fr. 1104 pr. edit.), quod Lutatius in Stat. Theb. 5, 163 p. 171 ed. Lindenbr. habet, iam exclusi-